

279 b

XVII, 295.


ADVERSVS
ANABAPTISTAS
PHILIPPI MELAN-
thonis Iudicium.

ITEM,

An Magistratus iure possit oc-
cidere Anabaptistas, Ioannis
Brentij Sententia.

FRANCOFORTI EX-
CVDEBAT PETRVS
Brubachius,
M. D. LXII.

11. 99.



eo
ret
Et
ad
de
lor
tan
scr
ten
lud
lüt
nup
illu



REVERENDO PA-

TRI, FRIDERICO ABBATI

ad sanctum Ægidium Noria-

bergæ, Philippus Me-

lanthon.

S. D.



CRIPSI ante aliquot
menses breuem dispu-
tationē aduersus Ana-
baptistas. Sic em̄ eram
eo tēpore occupatus, ut non uaca-
ret mihi ei uni argumento adsidere.
Et qui meum iudicium requirebāt,
adeo urgebant, ut uel uacuo non ui-
derentur relicturi satis temporis ad
longiorem cōmentarium, permisi
tamen, ut ederetur hoc qualecunq̄
scriptum, ut interea extaret mea sen-
tentia. Multas pestes secum trahit il-
lud dogma, nec una in re tantū fal-
lūtur isti fanatici homines. Id quod
nuper rescui ex quodā, qui initiatus
illis impijs mysterijs, ultrò resipuit.

A 2

Epistola Nuncupatoria.

Nulla est ueterū hæresium, quæ non uideatur his autoribus repullulare. Prodest igitur hortari imperitos homines, ut fugiant Anabaptistas; obambulat Satan, tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret. Quid enim aliud sunt illorum disputationes, quam insidiæ diabolicæ? Non sepe scripturas citant, plerumque rationibus nituntur, & illis quidē male inter se cohærentibus: quod indicium est corruptarum mentium, ut Pauli uerbo utar. Nos uerò rogemus Christū, qui dixit Petro, se pro eo rogasse, ne deficeret eius fides, ut & corda nostra custodiat, & ut exuscitet in nobis fidem, ne à simplicitate Verbi Dei ad impias opiniones abstrahamur.

Vale foeliciter.

CON,

CONTRA ANABAPTI-

STAS PHILIPPI MELAN-
thonis Iudicium.

SAEPE aliâs diximus, quorû lo-
corum notitiâ maximè necessa-
riâ sit. Indicauit enim eos Chri-
stus, cum iubet prædicari pœniten-
tiam & remissionem peccatorum.
Et uoluit Paulus ostendere princi-
palia capita doctrinæ Christianæ, ubi
inquit: Finis præcepti est charitas ex
corde puro, & conscientia bona, &
fide non ficta. In idem loci proponun-
tur apud Prophetas: Misericordiam
uolui, non sacrificium, & scientiam
Dei plus quàm holocausta. Ad hûc
modum & aliâs sæpe scriptura mo-
net, ut maximè cognoscamus hos
locos, doctrinam pœnitentiæ, item
fidei, patientiæ, charitatis, & omnium
bonorum operum. In hos locos in-
tueri nos oportet, his excitanda sunt

A 3

Contra Anabaptistas

corda & exercēda, ut simul in nobis
timor & fides augeantur, & crescat
cognitio Dei, & quoties aliquā par-
tē Scripturæ in manus accipimus,
illi loci, quos recensui, maximè re-
quirendi sunt. Et est quædam sum-
ma doctrinæ Christianæ informān-
da. Sed hoc seculo planè præpostera
quadam sapientia delectantur ho-
mines, rixātur de cæremonijs, item
de traditionibus humanis sine fine,
interim de pœnitentia, de fide, de
Cruce, de Charitate, & omnibus bo-
nis operibus magna silentiū est.
Nos autē summam doctrinæ Chri-
stianæ sæpe aliās tradidimus, & for-
tasse suo loco repetemus. Nunc,
quia de Sacramentis tam multæ ac
perniciosa diffensiones sunt, uisum
est hoc loco attingere illas contro-
uersias, ut præmuniamus aliqua ex
parte imperitos aduersus hæreses,
quæ magno numero subinde nas-
cuntur.

Philippi Melanth. Iudicium.

cuntur. Est .n. difficile retinere uerū
inter tot scandala, in tot dissensionibus,
& ferè fit, ut error gignat erro-
rem, quemadmodum significat &
Paulus, cum inquit, proficere hære-
ticos in deterius.

QVID SIT SACRAMENTVM.

EST aut Sacramentum signum
diuinitus institutum promissæ
gratiæ Dei. Et placet mihi olim
usurpata uox, Accedat Verbum ad
elementū, & fit Sacramentū. Nam
hæc duo sunt in sacramento, Res
quæ significat promissam gratiam,
& Verbū quo promittitur gratia,
& quo Deus instituit signū. Multa
igitur sacramēta numerari possent,
si quis oīa signa promissionum di-
uinarum diligenter uellet colligere.
Afflictio est sacramentum. Est .n.
res, cui adiunxit Deus uerbum, quo

promittit gratiam: ut, Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cū hoc mundo damnemur. Item: Filium quem diligit, corripit. Item, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Quanquam igitur sensus carnis reclamet, & iudicet afflictionem signum esse iræ, tamen statuerere debemus nō ex nostro sensu, sed ex Verbo Dei, afflictionem signū esse gratiæ, seu misericordiæ. Sunt item Sacramenta officia charitatis, quia accedit uerbum Dei quo promittitur gratia: Date & dabitur uobis, Remittenti remittetur. Ut .n. arcus significat terram non esse perituram amplius diluuiō. Ita significāt opera charitatis, quōd Deus uelit nobis ignoscere. Sicut uellus Gedeonis signum fuit promissæ uictoriæ, ita afflictio signum est promissæ gratiæ. Neq; tamē uellus iustificauit Gedeonem, sed fides qua credidit Deo,

Deo, ita afflictio non iustificat: ita nec opera charitatis iustificat, sed signa sunt promissæ gratiæ. Oportet igitur fidẽ accedere quæ credat promissioni Dei. Ad hunc modum, & pleræq; aliæ res colligi possent, quibus additæ sunt promissiones gratiæ, quæ rectè & utiliter Sacramenta uocari possint. Nos aut Sacramenta cõmuni cõsuetudine nũcupamus hæc duo, Baptismũ, & Coenã Dñi, quia sunt cæremonia quædã diuinitus institutæ, quibus sunt additæ promissiones gratiæ.

Posteaquã de uocabulo Sacramenti diximus, dicendum est etiam in genere de usu Sacramentorum. Primum igitur hoc sciamus, Sacramenta non tantum instituta esse in hoc, ut notæ essent, quæ discernerẽt Christianos à gentibus, sicut toga Romanos discernebat à Græcis: aut sicut uestitus discernit Monachos.

Contra Anabaptistas

Sic. n. scribunt nonnulli, Sacramēta esse instituta, ut per hęc ostendamus gētibus, nos credere Christo, & profiteamur fidem corā hoībus, & nostro exemplo alios inuitemus ad suscipiendā doctrinā Christi. Nos uerò sic sentiamus, Sacramēta esse uoluntatis diuinæ signa erga nos, nec tantū signa esse nostræ professionis erga hoīes. Vt. n. uellus erat Gedeoni nō tm̄ pro nota qua exercitus eius ab hostibus, tanq̄ castrensi tessera discerneretur, sed magis signum uoluntatis dei, & promissę uictorię pignus. Ita & nobis Sacramēta sunt signa uolūtatis Dei, Sicut & Christus docet, cum inquit: Hoc facite in mei memoriā. Meminisse aut̄ Christi, non est tm̄ docere alios, sed meminisse beneficiorū, quæ accepimus & ipsi ab eo per mortem eius, & resurrectionē, hoc est, meminisse remissionis peccatorum, quam per eum

con

Philippi Melanth. Iudicium.

cōsequimur. Sicut. n. uoluntas Dei ostenditur in Verbo, seu promissione, ita etiam ostēditur in signo tanq̄ in pictura. Et ut uerbum percipitur auribus, ut exuscitet fidem in corde, sic incurrit signum in oculos, ut & ipsum exuscitet fidē in corde. Ideoq̄ Augustinus scripsit sacramentum esse uisibile uerbū, quia idem significat quod promissio, & est tanquā pictura diuinæ uoluntatis, sicut uerbum uox est uoluntatis diuinę. Hęc de usu Sacramentorum iudicauī lectorē esse monendum, quia quidā docent sic tm̄ uti sacramentis, ut coram hominibus profiteamur fidē: Hanc partē prætermittunt, esse utendum illis, quia moneant & significent quid à Deo accipiamus, quia erigant & exuscitent fidem. Erit autē hic locus magis perspicuus, cū exposuerimus uniuscuiusq̄ Sacramēti proprium usum.

Contra Anabaptistas

Secundo, prodest & hoc moneri,
Sacramenta non iustificare. Fallun-
tur enim qui existimant se mereri re-
missionem peccatorum isto opere,
cum manducant Coenam Domini.
Paulus, n. docet iustificari nos non
ex operibus, sed ex fide. Et sicut audi-
re uerbum sine fide non iustificat, ita
uti sacramento sine fide non iustificat.
Nam & ipsum sacramentum est, ut
ante dixi, uerbum quoddam uisibile.
Sicut enim uox percipitur auribus,
ita sacramentum incurrit in oculos,
ut moueat corda ad credendum: Et
cum sacramenta contineant promissio-
nes, ita demum recte utemur illis,
cum credamus nos ea consequi quae
promittuntur: nam promissiones
requirunt fidem. Sicut Paulus docet
Rom. 4. Et ibidem docet Abrahamam
non esse iustificatum ex circumcisio-
ne, sed Circumcisionem fuisse signum
iusticiae, id est quod Deus testatus sit se
misereri

Philippi Melanth. Iudicium.

misereri Abrahę, ac iustificare Abra-
ham. Hoc testimonio confirmata
est & alitur fides Abrahamę, propter
quam iustificatus est. Ideoq; adpel-
lat Paulus Circumcisionem sigillũ
iusticię. Vt .n. sigilla nos de alteri-
us uoluntate certos faciunt, ita per
Circumcisionẽ certior fit Abraham
de uoluntate Dei. Sic & nos uti Sa-
cramentis nostris debemus, & iudi-
care ea esse signa iusticię, quę exhi-
buerit nobis Christus, ut testaretur
se remittere peccata & iustificare.
Quia baptisati sumus, gerimus no-
tã, qua testatur Christus se remitte-
re peccata agentibus pœnitentiam,
seu territis cõscientijs, non secus ac
si quotidie nouo signo de cœlo idẽ
testaretur. Nec est somniandum
unius esse temporis Baptismũ, sem-
per hanc notam gerimus, cum pœ-
nitentię, tum promissę gratię.

Contra Anabaptistas
DE BAPTISMO.

Baptismus est signum poenitentiae, & remissionis peccatorum. Principio, n. quod sit signum poenitentiae, testatur Ioan. Matth. 3. qui ait: Ego baptizo uos aqua ad poenitentiam. Et sic praedicatio Ioannis est praedicatio poenitentiae. Sicut Esa. xl. scriptum est. Ita & baptismus eius uerbi signum est, quod a Ioanne praedicatum est. Deinde, quod baptismus sit signum remissionis peccatorum, adparet ex uerbis Christi: Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Et Pau. ad Titum. 3. uocat baptismum lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti. Non igitur solius mortificationis signum baptismus est, praesertim cum praedicatio poenitentiae in Euangelio non sit tantum comminatio, sed habeat coniunctam promissionem gratiae. Sic, n. ait Ioan. Agite poenitentiam, quia appropinquat regnum caelorum

caelorum. Et Ioan. i. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Non significat igitur baptismus poenitentiam ita, quin simul ostendat remissionem peccatorum per omnem uitam, sicut Paulus inquit: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptisati sumus. Cōsepulti. n. sumus cum illo per baptismum in mortem. Cum igitur baptismus significet mortificationem seu poenitentiam, eaque effici debeat per omnem uitam, donec moriamur, satis constat baptismum non esse opus, ad unum quoddam certum tempus pertinens, sed significans in omni uita poenitentiam. Nihil igitur necesse est repetere signum, alioqui quotidie baptizari oportebat. Sēper. n. agere poenitentiam & terreri iudicio Dei, semper erigi & confirmari per fidem debemus.

DE VSV ET FRVCTV SA-
cramenti Baptismi.

Sic igitur utendum est baptismo:
Terrere nos debet, & ad poenitentiam hortari, & ostendere iram Dei aduersus peccatum. Et cum in Christum baptizemur, iubet uidere in Christo iram Dei aduersus peccatum. Sic enim irascitur Deus peccato, ut nulla creatura, nullus angelus, nullius sancti quatumuis bona opera delere peccatum potuerint. Item ut filium suum uoluerit pro peccatis offerri, sic ut non solum isto mortis genere foris adficeretur, sed etiam intus tanquam abiectus à Deo expauesceret. Cùm itaque tantopere oderit Deus peccatum, admonet nos baptismus, qui cõsepeliunt nos cùm Christo in mortem, ut uerè expauescamus & terreamur magnitudine iræ diuinæ, sicut & Christus de sua morte inquit: Ne plorate super me, sed plorate super uos, & super filios uestros. Transfert enim mortis suæ causam &

Philippi Melanth. Iudicium.

& exemplum in nos, q. d. Ego pati-
or, sed pro uobis, sustineo iram Dei,
non quā ipse merui, sed quam uos
meruistis. Nisi plorabitis & agetis
pœnitentiam, dabit is pœnam, &
manebit ira Dei super uos. Est ergo
hic baptisimi usus, magnitudine iræ
diuinæ ad exemplum Christi terre-
ri: & prophanant baptismum, qui
securi sine metu Dei, sine pœniten-
tia uiuunt, etiamsi quotidie ablue-
rentur. Semel est nobis traditum si-
gnum iudicij Dei, & mortis nostræ,
Itaq; ipsum signum renouare nihil
opus est, Sed huc respiciamus quo
signum pertineat. Accepimus em̄
tanquā condemnati capitis, signū
mortis nostræ, & iudicij Dei. Expa-
uescere igitur nos oportet, & agere
pœnitentiam, & sentire quòd Deus
iure succenseat nobis, & iure puniat
nos. Neq; uerò satis est baptismo
perterrefieri, sed in his terroribus

B

Contra Anabaptistas

oportet nos fidem cōcipere, & intue-
ri baptismū, ac sentire signum esse
promissæ gratiæ & remissionis pec-
catorum, Et adprehendere uocem
Iohannis, Appropinquat regnum
cœlorū, id est, gratia, sapiētia, miseri-
cordia, iusticia, uita. Itē: Ecce agnus
Dei, qui tollit peccata mundi. Ita
quoties laborat & luctatur cum des-
peratione conscientia, intueri debe-
mus hanc notam uoluntatis & mi-
sericordiæ Dei, quæ testimonium
est promissæ gratiæ, modò creda-
mus Deo promittenti: atq; ea fides
sic nos erigens in his pauoribus, est
iusticia coram Deo, hanc postulat
Deus, hæc bene de Deo sentit, hæc
uidet nos diligi à Deo, nos curæ esse
Deo tanquàm patri propter Chri-
stum. Sic igitur baptismo utendum
est, etiam ad consolationem. Et si-
cut Verbum est traditum, ut sit ad-
uersus desperationem præsidium,
ita

Philippi Melanth. Iudiciū :

Ita & baptismus inter arma nume-
randus est, quæ tradita sunt depu-
gnantibus cum desperatione &
incredulitate. Sic enim confirma-
re nos debet ad credendum, quem
admodum si noua miracula de cœ-
lo ostenderentur: & ut Gedeonem
uellus ad credendum exuscitauit.
Ita & nos hortari baptismus & ad
credendum erigere debet.

Secundo hîc animaduertendum
est, cum baptismus sit signum mor-
tificationis, omnes afflictiones, de-
niq; mortem ipsam significari à ba-
ptismo, & ad hoc traditum esse, ut
testaretur afflictiones & mortem,
quæ naturæ imposita fuerat pro-
pter peccatum, nunc salutarem esse,
nec affligi nos ut perdamur, sed
ut saluemur, & insertas esse affli-
ctiones nostras morti Christi. Si-
cut autem mors Christi sacrificium

Contra Anabaptistas

est, ita & nostræ afflictiones, quia sunt insertæ Christo per fidem, sacrificia sunt Deo grata. Et quemadmodum glorificatus est Christus, ita significat baptismus ac testatur nos exaudiri, liberari, iuari, glorificari. In omnibus igitur afflictionibus respicere ad baptismum debemus, qui admonet placere Deo, ut humiliemur & affligamur, & significat promitti in omnibus afflictionibus auxilium.

DE BAPTISMO IOHANNIS & Christi.

EXternus baptismus quem administrat Iohānes, nihil differt ab externo baptismo quē Christus administrat, siue Apostoli. Idē enim signum est institutum diuinitus per ministerium Iohannis, qui est minister noui testamenti, sicut inquit Christus: Lex & Prophetæ usque ad Iohannem, &c. Christus igitur signo

Philippi Melanth. Iudicium.

gno iam instituto & ipse usus est, Iohannes uerò non distinguit externū baptismum, sed suum ministerium ab officio Christi, quia Iohannes baptizat tantum aqua, hoc est, externum baptismū administrat, & prædicat Verbum, idem faciunt Apostoli. Sed Christus non tantum externū baptismum administrat, sed satisfacit pro peccatis nostris, Tollit peccata, dat Spiritum sanctū, Nihil igitur signum externum administratum à Christo, differt à signo administrato à Iohanne, idem significant & efficiunt utraq; sed personæ differunt ac officia. Iohannes .n. missus est tantum ut prædicaret, sicut & Apostoli. Christus uerò missus est ut tollat peccata, ut det Spiritum sanctum. Non igitur nostris operibus, aut satisfactionibus deleri peccatum, significauit Iohānes. Sed docuit filios Dei fieri nō posse, nisi

Contra Anabaptistas

Christus mittat in corda nostra spiritum sanctum, per quem sanctificemur & renouemur, ac gubernemur. Et sicut Verbum externum quisquis tandem prædicat siue Iohannes, siue Christus, siue Apostoli, idem est, ita & signum idem est. Sed hoc propriè Christi opus est, dare spiritum sanctum. Datur autem spiritus sanctus, quando Deus uel per Verbum, uel per signum perterrefacit, & cõsolatur ac uiuificat corda, nam & uerbum & signum adhibentur, ut per ea Deus moueat corda, perterrefaciat ac rursus erigat per fidem, cum intuentur uel Verbũ, uel signum. Hæc de usu baptismi tenere nos ac scire prodest, ne somniemus baptismũ opus esse, qd ad unũ aliqd tempus pertineat, sed ut eo utamur in omni uita, iuxta Pauli doctrinã Ro. 6. cũ ait: Cõsepulti sumus cum illo per baptismum in mortem.

DE

Philippi Melanth. Iudicium.

DE BAPTISMO
infantium.

Baptismum infantium constat
à ueteribus scriptoribus Eccle-
siae probari. Nam Origenes &
Augustinus scribunt ab Apostolis
receptum esse, Et Cyprianus, Chry-
sostomus, & Augustinus aduersus
Iulianū, item de peccatorum meri-
tis clarè probant. Hoc præfari uolui,
quia prodest scire quid ueteres iudi-
cauerint de re tanta, nec est ab illis
sine certis & perspicuis scripturæ te-
stimonijs dissentendum. Hoc
tempore improbant quidam ba-
ptismum infantium, & postulant
adultos denuo baptisari. Hæc do-
gmata cum nulla firma testimo-
nia ex scripturis habeant, tamen
aliqui amplexi sunt. Et huius er-
roris authores, alia multa impia
dogmata sparserunt, De rerum

Contra Anabaptistas

communicatione, de tollendis Magistratibus. Cum autem hæc signa, & has notas impietatis, isti phanatici spiritus præ se ferant, merito debuit etiam suspecta esse nouitas in alijs dogmatibus. Sed Christus prædixit de nouissimis temporibus, fore ut multi seducantur, hoc magis uigilare debemus, & nullum dogma recipere sine certis & perspicuis scripturis. Nunc ad causam. Hoc constat, promissionem gratiæ & regni Dei etiam ad infantes pertinere. Huius sententiæ habemus manifesta testimonia in scripturis. Primum, quia præceptum est, ut etiam infantes circumciderentur. Fuit autem circumcisio signum promissæ gratiæ, & promissi seminis, in quo benedicendæ sunt omnes gentes. Et Paulus Circumcisionem uocat signum iusticiæ, Rom. 4. Et Gene. 17. scriptum est: Ero Deus eorum, Item: Masculus cuius

Philippi Melanth. Iudicium.

cuius præputij caro non fuerit circumcisa, delebitur anima illius de populo suo. Hæ sententiæ quid aliud sunt quam promissiones gratiæ? Nam cum ait, Ero Deus eorū, significat se uelle misereri et seruare eos: Et postea cum minatur ijs qui non circumciduntur, certè testatur se circumcisos in gratiam recipere, non circumcisos non recipere, ut Circūcisio pro uero, ac certo signo gratiæ habeatur. Nondum de baptisimo dico, tantum hoc colligo, quòd promissio gratiæ & uitæ æternæ pertineat etiam ad infantes. Etenim si circūcisio, quæ est signum gratiæ, ad infantes pertinuit, necesse est etiam gratiam ac remissionem peccatorum ad infantes pertinere. Secundo, Matth. 19. scriptum est: Sinite paruulos ad me uenire, & nolite eos prohibere, talium est enim regnum cœlorum. Hanc sententiam ita elu-

Contra Anabaptistas

dicunt quidam, Christum non hoc
dicere, quòd regnum cœlorum sit
puerorum, sed eorum qui pueris si-
miles sint, uerum hæc interpretatio
præcedētibus uerbis refellitur. Chri-
stus enim iubet paruulos ad se adfer-
ri, quare necesse est ad eos etiam gra-
tiam pertinere, alioqui nō erant ad-
ferendi ad Christum, sed abijciendi
inter inimicos Dei. Item, ut maxi-
mè Christi uerba, non de paruulis
interpretemur, sed de his qui sunt il-
lorum similes, adparet tamen eum
adprobare et recipere paruulos, alio-
qui enim neq; eos probaret, qui il-
lorum euasissent similes. Postremò
Marcus inquit: Benedicebat eis, qd
accipi non potest aliter, nisi quòd re-
ceperit eos in gratiã, quòd commen-
dauerit eos patri sanctificandos &
seruandos, &c. Huc exempla etiam
sunt accersenda. Non enim dubium
est quin regnum Dei pertinuerit ad
pueros,

Philippi Melanth. Iudicium.

pueros, qui sunt interfecti ab Hero
de, sicut significat Euangelista, citās
locum Ieremiæ de sanctis martyri
bus. Cum itaq; hoc constituerimus,
quòd regnum Dei pertineat etiam
ad pueros, iam uidendū est ad quos
pueros pertineat: nam si ad omnes
pueros etiam extra Ecclesiam perti
net, nihil eis opus est baptismo: sin
autem remissio peccatorum nō est,
nisi ubi Verbum est & Sacramēta,
remissio pccōrū ad eos pertinebit,
quibus aut Verbū, aut Sacramentū
adhibeā. Nullū autē ē scripturis testi
moniū adferri pōt, quòd promissio
gratię pertineat ad pueros q̄ sunt ex
tra Ecclesiā. Et in cōfesso est remis
sionem peccatorū non esse, ubi neq;
Verbum est, neq; Sacramenta, sicut
Petrus inquit, Act. 4. Neq; .n. aliud
nomen est sub cœlo datū hoībūs, in
quo oporteat nos saluos fieri. Cum
itaq; ibi tantum sit remissio pecca
torum, ubi aut Verbum est, aut

Contra Anabaptistas

Sacramentum, cōsequitur, salutem ad eos infantes pertinere, quibus adhibetur Sacramentum, quod est signum ac testimoniū promissæ gratiæ omnibus ætatibus non tantum adultis. Nullam firmam rationem, nullum perspicuum scripturæ testimonium uideo aduersus hanc rationem opponi posse. Cum remissio peccatorum ibi tantum sit, ubi Verbum est, ac Sacramentum, consequitur, ad eos infantes pertinere remissionem peccatorum, qui Ecclesiæ inseruntur, quibus signum promissæ gratiæ adhibet. Quòd si non satis firma hæc ratio aduersarijs uideatur, ostendant ipsi ac probent remissionem peccatorum ad infantes extra Ecclesiam pertinere. Nisi forte hoc malunt sentire, promissionem gratiæ omnino ad infantes nō pertinere. Sed nos diuersum supra ostendimus. Sed inquit; Baptis-

mus

Philippi Melanth. Iudicium.

mus requirit Verbum ac fidem, infantes autem cum nihil intelligant, neque Verbum habent, neque fidem. Huic aduersariorum rationi exemplum Circūcisionis opponitur, quæ cum etiam Verbum ac fidem requireret, tamē adhibebatur infantibus diuino mandato. Sunt autem planē gratiæ eiusdem, Christi signa, Circūcisio & Baptismus. Non enim fuit circuncisio tantum promissionum corporaliū signum, sed potius promissi seminis, scilicet Christi, sicut et Paulus ad Rom. 4. testatur, cum uocat signum iustitiæ. Et ad Gal. docet ante legem fuisse promissionē gratiæ ac iusticię. Sicut igitur Circūcisio testabatur tunc remissionē peccatorum ad infantes pertinere, tametsi nondum uterentur ratione, nondum intelligere Verbum possent. Ita & nunc baptismus testatur ad infantes remissionem peccatorū per-

Contra Anabaptistas

tinere, etiamsi prædicationem Verbi nondum intelligant. Quod si magnopere contendant aduersarij infantes nihil intelligere, eodem modo colligere poterunt, aut infantes omnes ad regnum Dei pertinere, aut nullos omnino, Quod cum sit absurdum, fateantur ad eos infantes pertinere remissionem peccatorum, quibus Sacramentum adhibetur. Sed nullum præceptum, inquiunt, cogit baptizare infantes. Ad hoc respondeo, tametsi præceptum expressum non habeamus, tamē habemus exemplum, quod ualere debet, cum scriptura diuersum non præceperit. Habemus itaque causas ex scriptura sumptas. Primum igitur ostendant aduersarij, ubi scriptura prohibeat baptizare infantes. Deinde ostendant, cur non liceat transferri exemplum circumcisionis ad baptismum, cum eundem Christum significet utrūq;

Philippi Melancthi. Iudicium.

utrūq; signum. Postremò hanc cau-
sam nostram, quę ex scriptura sum-
pta est, confutent, scilicet, cum per-
tineat promissio gratiæ ad infantes,
nec sit extra Ecclesiam remissio pec-
catorum, efficitur, ut sit adhibendū
signum infantibus, quod testetur ad
eos pertinere remissionē peccatorū.
Hęc causa cum sit de scriptura sum-
pta, falso accusant nos aduersarij,
quòd sine autoritate scripturæ ba-
ptismum infantium probemus. Ac
uidete quàm nō sit tutum assentire
ijs, qui uetant baptizare paruulos.
Nusquā neq; scriptū, neq; pictum
est remissionē peccatorū ibi esse, ubi
neq; Verbum, neq; Sacramentum
est, quare nunquàm poterunt affir-
mare Catabaptistæ, quòd illi pueri,
quibus non adhibetur baptismus,
seruētur, aut cōsequātur remissionē
peccatorū, quod testimoniū scripturæ,
quod exemplum, quam ex scrip-

Contra Anabaptistas

ptura rationem adferāt, ut sciamūs
infantes extra Ecclesiam consequi
remissionem peccatorum? Hinc in-
telligi potest, quā incerta doceant
aduersarij. Et hæc una res Cataba-
ptistis fidem detrahere possit, quòd
cum improbant baptismum par-
uulorum, affirmant rem incertissi-
mam, remissionem peccatorum ali-
cubi esse, ubi nec Verbum sit, nec
Sacramentum. Cum igitur tam sint
incerta dogmata eorum, adparet,
quantum periculum sit ea recipere
contra ueterem Ecclesiæ cōsensum,
qui grauissimas causas habet de scri-
ptura sumptas. Sed hic obiter etiam
dicendum est, quod peccatum re-
mittatur infantibus. Video autem
ueteribus scriptoribus hoc placuis-
se, remitti peccatum originale in-
fantibus. Sic enim scribit, cum sæpe
aliās, tum maximè aduersus Iulia-
num Augustinus, citans etiam alio-
rum

Philippi Melanth. Iudicium.

rum scriptorum testimonia, eamq;
sententiam nos sequemur: non em̄
accipiendus est baptismus pro inani
signo, sed pro signo remissionis pec-
catorum, proq; testimonio diuinæ
uoluntatis, ut supra diximus. Est igi-
tur hoc loco exponendum, quomo-
do remittatur peccatum originale.
Vocant autem peccatum originis
Christiani scriptores corruptionem
humanæ naturæ, quòd sine noticiā
Dei, sine timore, sine fide nascimur.
Et præterea adferimus nati concu-
piscenciam, qua adtrahimur ad ma-
nifesta flagitia. Hæc autem corrup-
tio humanæ naturæ sequuta est
maledictionem post lapsum Adæ.
Porro, sunt hoc tempore quidam,
qui dum nimium philosophantur,
negant hanc corruptionem pecca-
tum esse, sed hi prorsus dissentunt à
scriptura. Augustinus miratur suis
temporibus fuisse, qui peccatū origi-

C

Contra Anabaptistas.

nis negarent, cum nemo antea fuerit in Ecclesia qui sic senserit, & inquit: Ab initio usque ad præsens tempus, quo ista nouitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiæ fidem, tanta constantia custoditum, &c. Hoc magis nostris temporibus uituperanda est quorundam calliditas, qui uetus dogma de peccato originis irrident. Sed colligemus ex scripturis locos, qui docent & naturam corruptam esse, & eam corruptionem uerè peccatum esse. Rom. 5. Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & deinde in omnes homines mors pertransiit, quia omnes peccauerunt. Et Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Esse autem filios iræ, est eiusmodi peccatum habere, cui Deus irascitur, & quod damnat. Et in Psal. scriptum est: Ecce enim in iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis conce

Philippi Melanth. Iudicium.

concepit me mater mea, id est, cum
formarer, eram immundus, & con-
trahebam peccatum. Et Gen. 8. For-
matio cordis humani mala est à pue-
ritia. Significat em̄ nos non imita-
tione, seu exemplis malorum cor-
rumpi, sicut Pelagiani senserunt, &
iudicant Philosophi, Sed naturam
humani cordis, secum inde usq; ad
pueritiam adferre cōcupiscentiam.
q. d. prius existere in natura cōcu-
piscentiam, quàm sensum imitandi:
& haud scio, an nomen formatio
hīc de natiuitate ac formatione foetus
sit accipiendum. Huc pertinet
& locus Ioannis 1. Qui non sunt
nati ex sanguinibus. Damnat e-
nim Euangelista omnes qui non
sunt ex Deo nati. Et Ioan. 3. Quod
natum est ex carne, caro est. Et Pau-
lus Roma. 8. Caro non potest legi
Dei subijci. Posset autem legi Dei
subijci, si non adferret secum cora-



Contra Anabaptistas

ruptionem, ac peccatum nascens.
Sentire igitur debemus quòd natura corrupta sit, hoc est, quòd nascamur sine timore Dei, sine fiducia erga Deum. Item, quòd adferamus nati concupiscentiam nobiscum quæ est efficax, ut inquit Paulus in membris nostris, & parit vitia. Præterea sentiamus eam corruptionem eiusmodi peccatum esse, quod damnet Deus. Philosophi mirati sunt quid sit causæ, cur homines tanta vi ad vitia ferantur, nec possint obtemperare rationi recta monenti: sed docet nos Christiana doctrina causam esse peccatum originis, quia post Adæ peccatum maledicta sit eius posteritas, hinc illa nature corruptio est. Ut enim arbor fit sterilis, si maledicat ei Deus, ita natura corrupta est & debilitata, posteaquam filij iræ facti sumus. Nunc redeo ad institutum. Remittitur peccatum originale infantibus

Philippi Melanth. Iudicium.

sanctibus, non ita ut morbus totus
statim sanetur, Sed ignoscitur eis, ne
rei habeantur istius peccati: seu, ut
ueteres loquuntur, donec in hac car
ne uiuimus, manēt morbi reliquiae,
sed reatus tollitur. Recipiuntur em̄
in gratiam pueri & sanctificantur à
Deo. Sicut enim de Circumcisione
scriptū est: Ero Deus eorum, quod
est recipiam eos in gratiam, custodi
diam eos, & sanctificabo eos, guber
nabo eos. Ita & isti pueri commen
dati Deo, recipiuntur in gratiam, san
ctificantur & custodiuntur à Deo.
Quanquam enim ratione nondum
utantur, tamen agitat eos Deus pro
modo ipsorum. Nam neq; in seni
bus ratio efficit iusticiam Christia
nam, Sed Deus incutit uerum timo
rem, & ostendit peccatum his quos
ad pœnitentiã reuocauit, eosq; rur
sus per fidem erigit, ac iustificat. Effe
cit spiritus sanctus, ut sentiret Ioan

Contra Anabaptistas

nes nondum natus præsentia Christi. Ita sanctificari à spiritu sancto, & alij infantes electi sine rationis auxilio possunt. Hactenus de infantium baptismo diximus. Pro quibus inquit Augustinus, ideo uehementius contendere debere, quia pro se ipsis non possunt dicere. Fuit autem nostre ratiocinationis hæc summa. Cum remissio peccatorum non sit, ubi nec Verbum est, nec Sacramentum: Sequitur, ut ad illos infantes remissio peccatorum pertineat, quibus est adhibitum Sacramentum, quod testatur pertinere ad remissionem peccatorum. Et si quis contendat Sacramentum non esse administrandum his, qui Verbum non intelligunt, aut solum Sacramentum non significare remissionem peccatorum, huic exemplum Circumcisionis opponatur, quæ significauit ad infantes gratiam pertinere, tametsi Verbum
bum

bum nondum intelligerēt: atq; hoc exemplū testatur solius Sacramenti usum alicubi esse apud eos, qui Verbum non intelligunt. Si quis interroget, quid conferat baptismus pueris? Huic respondeo, quòd significet ad eos pertinere promissionem gratiæ. Porro cum non sit remissio peccatorum, ubi nec Verbum, nec Sacramentum est, fit ut illi consequantur remissionem peccatorū, quibus Sacramentum adhibetur, nam tota Ecclesia credit remissionem peccatorum hic esse, ubi Verbum ac signum est. Et hanc fidem præ se ferens, cōmendat infantes Deo, quia Christus inquit: Sinite paruulos ad me uenire. Et signum adhibet, quia non est certum remissionem peccatorum alibi esse, ubi nec Verbū, nec signū est. Hanc Ecclesiæ fidē nulla causa prorsus est, cur implorent Catapaptistæ, neque enim poterunt

Contra Anabaptistas

unquam ostendere remissionē peccatorum extra Ecclesiam esse. Qui postulāt ut denuo baptizemur, hāc unam sequuntur causam, quia non liceat infantes baptizare. Atqui nec prohibet scriptura eos baptizari, & Christus testatus est eos ad regnum Dei pertinere. Iubet enim ad se adferri, dicit talium esse regnum cœlorum, significat eis custodes angelos esse datos à patre, sic em̄ inquit: Angeli eorum in cœlis semper uident faciem patris mei in cœlis, sunt haud dubiè filij Dei qui custodiūtur ab angelis. Quæ cum ita sint cur excludant eos isti ab Ecclesia, & à Sacramento, cum non constet remissionem peccatorū esse, ubi nec Verbum est, nec Sacramentum. Cum igitur nulla sit causa cur improbetur baptismus infantium, nihil necesse est denuo baptizari, sed qui postulant ut denuo baptizemur, hi cogitant

gitant baptismū certi alicuius temporis opus esse, uidelicet, cum coeperis agere poenitentiam & credere, tum demum iubent baptismō uti, ut signum cum animo consentiat. Quid facient isti? toties ne baptizabunt, quoties relapsi agunt poenitentiam? Sed isti non satis neque signi officium, neque poenitentiae naturam intelligere mihi uidentur: ipsi signa adhiberi arbitrantur, ut sint testimonia fidei nostrae apud homines. At nos supra docuimus, signa non tantum esse testimonia fidei nostrae aduersus homines, sed tradita esse ut sint testimonia diuinæ uoluntatis erga nos, sicut ipsum uerbum. Sicut igitur doctrina alicubi præcedit iustificationem, ita etiamsi baptismus præcederet alicubi poenitentiam, tamen non esset propterea damnandus. Multa discunt aliqui antequam perueniant ad iustificationem, num

Contra Anabaptistas

Verbū propterea quod didicerunt,
falsum est, aut ex animo eijciendum ē
Ita nec baptismus, etiamsi ante tem-
pus adhiberetur, propterea abluen-
dus erit, nihilo enim Verbum mi-
nus habet dignitatis quàm signum.
Porro ut Verbum quod semel didi-
ceris, postea etiam exuscitat & con-
firmat corda, ita etiam baptismus se-
mel adhibitus, per omnem uitam
exuscitat ad poenitentiam & ad fidē.
Quare non ad unū aliquod tempus
pertinet baptismus, sicut nec poeni-
tentia unius alicuius temporis est,
sed per omnem uitam caro mortifi-
cari debet, & carnalis securitas exui,
& contra crescere fides & pax spiri-
tualis cordis debet. Ex his colligi po-
test, non oportere baptizatos in in-
fanzia postea rursus baptizari. Vide
autem quàm nihil utilitatis adferat
doctrina Catabaptistarum. De ipsa
cæremonia valde rixantur, de usu
signi

Philippi Melanth. Iudicium.

signi magnum silentium est. Nos
potius usum consyderemus, ac uer-
ba baptismi intueamur, quæ mirabi-
liter erigere & confirmare territas
consciētias possunt. Quo pertinent
enim illa uerba : In nomine patris,
& filij, & spiritus sancti baptizari?
Testantur quòd pater & filius, & spi-
ritus sanctus recipiant nos, & ita re-
cipiant, ut quāquam sentiamus nos
esse meritos æternam iram, quan-
quam moriamur, tamen adsint nobis, re-
mittant peccata, uelint nouam ui-
tam donare. Sic paciscitur nobiscū
Deus, & per signum & per Ver-
bum, quòd nostri misertus sit, & in
hac mersione uelit nos aspergere
sanguine filij sui, & mortificata car-
ne, uitam spiritualem in nobis effi-
cere. Quando igitur prostrata con-
scientia quāmaximē territa est,
& sentit se nihil nisi mortem, ac
iram mereri, tunc respiciat ad hos

Contra Anabaptistas

Spectaculum, & se uerè mergi in a/
quam sentiat, & sciat adesse patrem
& filium & spiritū sanctum, qui ue/
lint ignoscere & seruare. Ideo enim
ut crederetur remissio peccatorum,
iusserunt in suo nomine baptizari,
suum nomen nobis ostendi, ut in/
uocaremus ac crederemus promiss/
sionibus diuinis. Figurā orationis,
In nomine patris, & filij, &c. ita in/
telligere poteris, ut in Psalmis acci/
pitur, Illi .n. in curribus & in equis,
nos autē in nomine Domini, id est,
nos mandato Dei, & propterea freti
eius presentia et auxilio pugnamus.
Ita baptizamur in nomine patris, &
filij, & spiritus sancti, quia iussu eius
& ordinatione baptizamur, sentire
debemus, quòd nos receperit ingra/
tiam, quòd adsit, quòd iuuet, quòd
sit seruaturus. Eodem redit res si ex/
ponas in nomine, id est, uice, quia
qui uice Dei baptizat, testatur Deū
baptizare,

Philippi Melanth. Iudicium.

baptizare. Ergo si mergit nos ipse
pater in mortem, & aspergit sanguine
filij sui, & sanctificat per spiritum
sanctū, uiuificabit nos haud dubiè.
Nec alia erit sententia, si legas, in no-
mē patris, ut significet nos esse iam
factos peculium Dei, & reconcilia-
tos Deo, ut possimus inuocare no-
men domini Dei, & sciamus nos ei
curæ esse, nos ab eo seruari, & gratis
iustificari. Hæc uerba baptismi sunt
cōsideranda ad fidem excitandam,
in quibus uidere licet, quomodo se
effundat erga nos diuina bonitas, &
ostendat se nobis ut credamus & ser-
uemur. Oremus itaq; Deum, ut ex-
uscitet ac prouehat in nobis fidem,
ut tantam uim bonitatis cernere &
prædicare possimus. Atq; hæc fidei
exercitatio est, ut uerbis Christi
utar, inter grauiora legis, Cæremo-
nia ipsa est in altero genere. Quantū
potuimus hoc tempore, ostēdimus

Contra Anabaptistas

quàm sit inane dogma Anabaptistarum, nam & infantes baptizare licet, cum ad eos remissio peccatorum pertineat, quæ non est, ubi nec Verbum, nec Sacramentum est. Et ut ante tempus baptizaretur aliquis, non propterea baptismus est improbandus, ut neq; Verbum dediscendum est, aut improbandum, quod ante iustificationem didiceris. Habent autem Anabaptistæ multas alias notas, quibus declarant quo Spiritu agantur. Paulus iubet probare spiritus. Itaq; sibi malè confu-
lunt hi, qui se cum ea factione coniungunt priusquam totam cognoverint ac inspexerint qualis sit. Simpliciter impium est, quod docent, non licere Christianis gerere Magistratus, aut obire officia magistratum, exercere iudicia, gladio uti adversus fontes, & similia, de quo loco aliàs sæpe dictum est. Est & hoc dogma

Philippi Melanth. Iudiciū.

dogma impiū, quòd exigunt, ut Christiani conferant totas facultates in commune, de qua re obiter hīc dicemus. Est enim & hoc dogma de cōmunicandis facultatibus, una inter seditionum faces, quas phanatici isti spargunt in uulgus. Ego non minus pro seditiosis habendos censeo, qui publicas & receptas leges de rerū diuisione improbant, quàm illos qui prorsus negāt phas esse Christiano gerere Magistratus. Sic igitur statuo Christianis licere proprias facultates tenere, aut diuitias possidere, Hoc cōfirmat Paulus 2. Cor. 9. ubi docet largiendū esse quātum quisque uelit non ex mœstitia aut coactiōe: ubi clarè Paulus testatur non esse cogendos Christianos ad deferendas facultates suas. At si peccatum esset diuitē esse, profecto exigeret ac precipere eis discedere à diuitijs, nec permetteret arbitrio uniuscuiusque

Contra Anabaptistas

largiri quantum uelit. Et ad Timot.
inquit: Præcipe diuitibus ne super/
biant, neue confidant in incertis di/
uitijs, &c. Hoc non præcipit, ut
discedant à facultatibus, ut totas in
commune conferant. Et si diuites
esse peccatum est, cur numerat eos
ibi inter Christianos: oportuerat .n.
antea abdicari possessionē rerum, si
id postulabat doctrina Christi. Et
Christus Matth. 19. non ait impos/
sibile esse diuites intrare in regnum
coelorum, sed difficile. Postremo ut
adprobat Euangelium Magistratū,
& reliquas ciuiles ordinationes, ita
etiam emptionem, uenditionem,
ac legitimam rerum diuisionem. Id
uult Paulus, cum inquit: Ementes
tanquam non teneatis: licet emere,
augere possessionem, sed sine cupi/
ditate ac auaritia. Et ad similes ca/
sus uitæ huius ciuilis pertinet quod
sequitur, Vtentes mundo sic, ut nō
abutami

Philippi Melanth. Iudicium.

abutamini, hoc est, gerite Magistratus, contrahite matrimonia, Laborate, exercete alij alias artes, docete liberos, curate eis uictum, sed hæc cum timore Dei, ac fide gerite. Est autem sequenda Salomonis regula in Oeconomia, quam tradit cum inquit: Bibe aquam è tuis fontibus, & tui fontis riuulos bibe, fontes tui foras deriuentur, & riui manent in plateas. At tu dominus esto horum solus, non alieni tecum. Benedicentur enim fontes tui. Est autem hæc sententia præcepti, Vnumquensq; sui fontis dominũ debere esse, hoc est, possessiones suas ac fundos retinere debere, sed ex illis foras deducendos esse riuos, hoc est, largiendũ esse egenis, quantum usus nostri patiantur. Et postremo, est addita promissio, pollicetur enim fore, ut Deus benedicat facultatibus eorũ, qui illas hoc modo administrãt. Ita scri-

D

Contra Anabaptistas

ptura officia charitatis præcepit, nõ
ut perturbet ciuiles ordinationes de
rerum diuisione, aut alias, sed ut con
seruet eas. Sed obijcitur locus in Eu
angelio: Si uis perfectus esse, uade
uende quæ habes, & da pauperibus,
& habebis thesaurum in cœlo, &
ueni sequere me. Hunc locum le
uiter interpretabimur, ne longa di
sputatione res fiat obscurior. Præce
ptum est personale, quod ad illam
propriè personam pertinuit, non ad
omnes. Est enim adiectum, Veni
sequere me, quæ uerba testatur eum
ad munus docendi esse uocatum, &
sicut nõ omnes ad munus docendi
accerit, Ita neq; omnibus præcipit
facultates distrahere. Hæc est meo
iudicio simplicissima interpretatio,
nam & circumstantiæ testatur non
generale præceptum tradi, sed te
meritatem illius iuuenis castigari,
speciali modo uocationis. Cum eim
gloriare

Philippi Melanth. Iudicium.

gloriaretur se omnia præcepta seruasse, Christus significat, quòd ne primum quidem præceptum seruauerit, quod iubet Deum diligere ex toto corde. At is ita diligit suas facultates, ut propter illas grauetur suscipere ministerium Verbi. Et Christus cum uellet ei ostendere, quòd diuitias præferret Deo, iussit eum illas propter Deum distrahere. Præterea hic locus præcipit distrahi facultates, non autem discedere à facultatibus, easque in commune conferre: nam etiam si uendidisset, erat tamē pecunia futura penes dominum, non collata in commune. Est & Augustinus interrogatus alibi: Liceat ne Christianis retinere diuitias? Non semel enim hac de re dissensiones in Ecclesia ortæ sunt. Sic igitur enarrat hunc locum Augustinus, perfectiorem quandam esse sentit discedere

• Contra Anabaptistas

• facultatibus, sicut & uirginitas
quædam perfectio est, Aut sicut do-
num linguarum quædam perfectio
est, & in hanc sententiam iudicat
Christi dictum accipiendum esse, Si
uis perfectus esse, Cæterū posse esse
Christianos sine hac perfectione, si-
cut sine dono linguarum, nam uera
perfectio Christiana non est sita in
ulla re externa, in diuitijs, aut ino-
pia, in coniugio, aut alio uitæ gene-
re, sed in timore, fide, spe, charitate
perfecta. Obijcitur & exemplum
Apostolorum, qui cōtulerunt om-
nia in commune. Ad quod respon-
deo, Nos de præcepto disputare, V-
trum præceptum sit à facultatibus
discedere. Potest fortassis alicubi in-
ter paucos talis communicatio fa-
cultatum fieri, sicut in prima Eccle-
sia fiebat inter Christianos, quos co-
gebat etiam hæc causa, quia eripie-
bantur facultates his, quos consta-
bat

bat Christianos esse factos, quare ipsi antea distrahebant, ne prædæ essent tyrannis. Exemplum uerò illorum nō imponit necessitatē alijs: sicut non sequitur, cœlibatum præcipiendum esse ministris Ecclesiæ, quia Paulus uixerit cœlebs. Nō igitur necessaria est illa cōmunicatio facultatum, sed libera inter paucos, qui ultro suas res in commune conferunt. Ananias uerò occisus est, quia mentitus erat, nō quia retinuerat pecuniam. Nam Petrus aperte ait, futurā fuisse pecuniam in ipsius potestate. Et ideo se irasci inquit, quia Ananias mentitus erat non hominibus, sed Spiritui sancto, &c. Obijcitur & illud, Da omni petenti, &c. Sed facile intelligi potest, hanc sententiam non postulare, ut discedamus à facultatibus siue possessionibus: Cum enim iubet dare, certè retinere possessiones permittit, ex qui

Contra Anabaptistas

bus sumatur, ut subinde largiamur. Et Paulus 2. Corinthio. 8. interpretatur hanc sententiam, ita largiendum esse, ne sit alijs remissio, nobis afflictio. Est itaq; sic accipienda hæc sententia, ut non tenues elemosynas, sed copiosas largiamur. Abutuntur hac sententia, qui eam detorquent ad talem communicationem facultatum, qua ciuilis ordinatio de rerum diuisione perturbatur, Sicut autem qui aduersus Magistratus arma capiunt, seditiosi sunt, ita seditio est tollere illas ordinationes, quæ suum unumquemq; tenere iubent, & ab alieno abstinere. Nihil ad nos Socratis somnium pertinet, qui in illa commentitia sua re publica suauiter nugatur de rerum communiõne. Christus enim docet nos, ne perturbemus legitimas ciuitatum ordinationes. Interea tamen liberaliter iuuemus egentes, ac præsertim

præsertim ministros Ecclesiarum ac
doctores, nam ipsi maxime debemus,
sicut scriptura sæpe docet. Sed nunquam
in Ecclesijs illiberalius habiti sunt
sacerdotes quam hoc tempore. Qui-
dam uehementer Euangelici inua-
dunt in possessiones donatas usibus
Ecclesiarum, aut studijs, sine quibus do-
ctrina religionis conseruari non po-
test, & uulgus ubique defraudat suos
pastores: Idcirco faciunt hi maxime, quod
se gloriantur esse Euangelicos, cum
doctores Euangelij nusquam inhu-
manus tractentur. Paulus hos du-
plici honore dignos esse scribit, quia
re omnia charitatis officia erga hos
maxime oportuit exercere. Sic igitur
sentiamus, Christianos recte
facere, si iuxta legitimas ciuitatum or-
dinationes maneant in possessionibus,
modo pro facultatibus unusquisque
liberaliter largiatur egentibus. Tali-
bus officijs est propofita merces in

Contra Anabaptistas

Pfal. Dispersit dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculum. Hoc uolui obiter admonere, quia comperi inter impia Anabaptistarum dogmata hoc quoque esse, Christianos oportere discedere à facultatibus, easque in cōmune conferre. Porro qui huiusmodi impia dogmata docent, hos satis adparet non esse ex Deo. Nullum fuit periculosius tempus unquam, hoc magis uigilandum est, ne quos spiritus inexploratos recipiamus.

FINIS.

AN MAGISTRATVS

IVRE POSSIT OCCIDERE

Anabaptistas, aut alios Hære-
ticos, Iohannis Brentij
Sententia.



INTER alia huius seculi errata, quæ hoc ætatis ob fidem Christianam passim emergere uideamus, non minimum est eorum, quos Anabaptistas uocant, Etenim illi ob non sanum sacri baptismi intellectum in eam uenerunt sententiam, ut doceant, nullum infantem puerum, & nondum rationis usu præditum baptizandū esse, neq; talium baptismum ullius momenti esse affirmant. Quocirca iam grandes nati semetipsos iterum baptizandos offerunt, ac deinceps bona sua habent communia, nullis gladijs accincti incedentes, neq; semet ullo iureiurando, aut fide Magistrat

De Anabaptistis

tibus uolunt obstringere, constanter affirmantes, nullum Christianum posse aut debere fungi Magistratus officijs. Præterea id genus alios articulos pertinaciter affirmant, quos ex scripturæ sacræ ignorantia suserunt. Quia uerò satis firmis scripturæ testimonijs probari ac planum fieri potest, horum rebaptismo Sacramentum baptismi cõtumelia affici. Insuper talium Anabaptistarũ doctrina nouum, pharisaicum, monasticum, & seductionis plenum ordinem iterum erigi, illud in questionem uenit, qua ratione huic phanaticæ hæresi occurrendum sit in hoc, ut eradicetur & extinguatur. Et sunt nonnulli Magistratus, qui igne & gladio huic malo mederi uoluerunt, existimantes eam rectam esse uiam eiusmodi hæreses extinguendi. Ad quod citare solent ius Cæsareum, quo cautum & scriptum est, ut Anabaptistæ

Iohannis Brentj sententia.

baptistæ morte mulctentur. Hæc
cum ita sint, primum uidebimus,
num sacræ scripturæ authoritate &
permisso Anabaptistæ, aut etiam
aliij hæretici à Magistratibus suppli-
cio affici debeant. Deinde an uerus
& germanus Cæsareæ legis intelle-
ctus hoc sibi uelit, ut omnes Ana-
baptistæ citra discrimen ad suppli-
cium & mortem rapiantur. Principio
duplicia sunt peccata, iniusta siue sce-
lera animaduersione digna, & pri-
mum quidem peccata sunt spiritua-
lia, deinde quæ uocant secularia. In-
ter spiritualia numerantur incredu-
litas, desperatio, pusillanimitas, per-
uersus sacræ scripturæ intellectus, he-
resis, occultum odium & inuiden-
tia, alienorum bonorum concupis-
centia, aut etiam proximi thori ap-
petitus. Præterea omnia alia quæ co-
râ Deo peccata cēsentur, quæ quāq̃
fieri soleant, nihil tamen communi

De Anabaptistis

& ciuili tranquillitati officium. Se-
cularibus peccatis hæc annumeran-
tur, proditio, homicidium, latrocini-
um, furtū, adulterium, adhæc quæ-
cunq; aliorum flagitiorum reliqua
sunt, pacem & cōmunem tranquil-
litatis statum conturbantia. His du-
plicibus peccatis puniendis duplicē
quoq; Deus instituit & pœnam &
gladium, uidelicet spiritualibus spi-
ritualem, quod est uerbum Dei, se-
cularibus uerò & externis secularē,
nempe Cæsaris gladium. Etenim
unūquodq; peccatum eo instru-
mento puniendum est, quo coerce-
ri potest. Iam spirituale peccatū sub-
tile est, & gladius magistratus adeo
crassus & carnalis, ut multo uehe-
mentius illo corroboretur, quàm
debilitetur. Neq; spirituale peccatū
adeo malam faciem præ se fert, atq;
homicidium aut latrocinium, sed in-
cedit quadam pulchra honestate &

pru

Iohannis Brentij sententia.

prudētia exornatū. Quippe, nulla incredulitas adeo mala est, quæ non suas causas habeat, & honestum aliquem prætextum & faciem. Neq̃ ulla hæresis in tantum falsa est, quæ semet non studiosissimè sacrarum literarum subsidijs atq̃ testimonio comaret. Quapropter, si gladio incredulitatem & nudas hæreses coercere uelimus, nihil aliud agemus, quàm quòd diaboli conatum iuueamus, ut subinde maiori tragœdiâ rem deteriorem faciat. Ad hunc. n. modū de illo in Hiob memorię proditum est, cap. 41. Cum apprehenderit eum gladius, sustinere non poterit, neq̃ hasta neq̃ thorax. Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. Non fugabit eum uir sagittarius. Porro tum demum uictus in fugam uertitur, quando Verbo Dei impetitus fuerit, ac eius imposturæ & mendaciâ

De Anabaptistis

reteguntur, & propalam confutantur, & sic non amplius potest consistere. Nam quodocumque diabolus per suos concitato bello ueritatem impugnauerit, sicut fieri solet incredulitate & hæresibus, nulla repugnatione & reluctatione perinde opus est, quam ut propalam eius insidiosæ fraudes & malitosæ seductiones detectæ indicentur. Est enim pater mendacij, & luci inimicus, quocirca quam primum lux ueritatis adducta fuerit, tenebrarum principij fuga arripienda est, non potenti subsistere. Iam uerò mundano gladio non eã uis est & potentia, ut quantum ad uim suam attinet, occultum aliquod malum aut uitium uelut aspertum coarguere & planum facere possit. Neque occultæ iniquitati suam apertam & formosam honestatis faciem potest detrahare, sed quo fortius eam impugnauerit, tanto magis

magis crescit honesti facies. Ex hoc fit, ut increduli & heretici externa et nuda infectatione, tantū uehementius suo in errore confirmēt. Nam cum illorum opinio ratione & causis carere non uideatur, estq; sacris literis, ueruntamen falso intellectis, exornata, nec illorū prauus & male sanus intellectus diuinæ gratiæ inopia satis clarè conuinci potest, fit ut in eam ueniant sententiam, & animi persuasionem, ut putent se iustitiæ & uerbi Dei nomine infectationem perpeti. Ex quo deinceps oritur quædam infracta pertinacia, & in omnibus cruciatibus & tormentis cōstans perduratio, quæ quidem sibi ipsis est exitio, alijs uero eorundem constantiam uidentibus aut audientibus, seductioni. Quapropter hæc cōpendiosissima & optima uia est hereticos impugnādi, ut tm̄ Euāgelio & sacrae scripturae hoc duellū

De Anabaptistis

aduersus hæreticos cōmittatur, per
quod adeo solum hæreticorum ho/
nesti prætextus produntur, & illius
manifestatione submouentur, Præ/
terea æquè promptū est incredulis
& hæreticis coram mundo uirū pro/
bum & integrum referre, atq; rectè
credentes. Quare si non uacant ho/
micidio, si non latrocinantur, non
furantur, nullo se cōtaminant adul/
terio, nemini uim inferunt, sed pa/
cate uiuunt in ciuilibus & externis
ordinationibus, soluunt quod cuiq;
debuerint, censum cui census reddē/
dus est, timorem cui timor, honorē
cui honor habēdus est, sicut Paulus
Romanis scribit, tū nihil iuris aduer/
sus illos Magistratui relinquit. Pau/
lus enim dicit Magistratum mini/
strum Dei esse, & uindicem in iram
ei qui malè agit. Quæ uerba omni/
bus circumstantijs de malis & ex/
ternis hominum actibus, & non de
spirituali

Iohannis Brentij sententia.

Spiritali incredulitate intelligenda sunt. Homicidæ, latrones & apertè facinorosi, magistratus pœnis plectendi sunt. Porro increduli & hæretici, qui alioqui corâ mundo honestè & inculpate uita exigunt, Euangelij supplicio, & Dei post hanc uitam destinati sunt. Inde Christus Matth. 13. suis præcepit discipulis ne eradicarēt zizania, sed sinerēt utraq; simul excrefcere usq; ad tēpus messis, &c. Quibus uerbis illud innuere uoluit, ne Christiani incredulos, & hæreticos, q; hoc loco uocant zizania, gladio conarent è medio tollere, sed aduersus eosdē spūali gladio pugnarent, donec appetat messis, & tunc iustam pœnā, si non conuersi à praua sententia discesserint, inuenient. Nam si quis ob incredulitatem & hæresim statim morte mulctandus esset, ille non corporali solum uita priuaretur, sed de animæ quo-

zizania.

E

De Anabaptistis

Tit. 3

que salute in discrimen ueniret. Potuisset enim fortasse in tempore repudiata incredulitate, & errore pristino abiecto resipuisse, & ad ueram fidem conuerti, qua in re per magistratus tyrannidē præpeditur. Quin etiam Paulus ad Titum scribit cap. 3. Hæreticū hoīem post unam atq; alteram correptionē deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit cum sit proprio iudicio cōdemnatus. Hic non dicit Paulus hoīem hæreticum flammis concremandū, aut gladio occidendū esse, sed cum noluerit cum alijs rectè & sanè sentire, deuitandum esse. Sed dicet aliquis, Christus & Paulus etiam homicidam, adulterū resipiscentem recipiunt, nec quenquam sui officij nomine morte puniunt, quodcūq; tandem facinus seu grande, seu modicum admiserit. Respondeo, uerū esse, Euangelium nullū peccatorem morte



Iohannis Brentij sententiæ:

morte adficiat, uerum quamdiu aperte peccant, uitiolis operibus indulgentes, ex communicati reijciuntur ab Ecclesia, ac pro Ethnicis & publicanis reputantur. Vita uero per poenitentiam emendata, iterum in Christianam communionem recipiuntur, atque pro Christianis agnoscuntur. Interim tamen Euangelium Magistratibus suum permittit officium, quatenus sui muneris terminos non excedit, sed in ordine legitimo permanserit, & puniet quicquid illi puniendum iure concessum & permissum est. Cæterum, si gladius extra sui iuris terminos fertur, & latius quam à Deo ordinatum est, puniendo progreditur, uolens id quoque irrogata poena corripere, quod soli Euangelio & Verbo Dei corripiendum est, cuius generis est incredulitas & hæresis, sanè hic facile plus malorum dare potest, quam pacem aut

tranquillitatem retinere, sed tan-
 tummodo per hoc facit hebetiorē,
 dum uolenter alieni operis et offi-
 cij executionem sibi uendicat, in al-
 terius messem falcem suam (quod
 aiunt) mittendo. Et quantum ego
 coniectura auguror, Anabaptistarū
 hæresis nulla alia re perinde corro-
 borata & promota est, quàm Magi-
 stratibus, qui actutum citra Verbū
 Dei et sacrae scripturæ expositionē
 tyrannicē aduersus illos ferro sæuie-
 runt. Nam dum spirituali uitio in-
 iusta pœna occurrere conati sunt, &
 ius gladij, latius quàm par, aut con-
 cessum erat, protendere, propter ab-
 usum, et tyrannidem gladij Domi-
 nus Deus noster exarsit iracundia,
 atq; in supplicium hominū diabo-
 lo subinde magis atq; magis sæuire
 permisit, semperq; efficacius suum
 errorem excitare, et constabilire: a-
 deo ut corporalis illa pœna & cor-
 reptione

reptio parum fructus uulgo attulerit, paucis, aut potius nullis ad animi resipiscentiã pertractis, sed multo uehementius errorẽ auxerit atq; promouerit, qñ Anabaptismi negocium nullum externũ aut mundanum constat esse flagitiũ, uerũ saltem internũ & occultum errorem scripturæ testimonijs suffultum. Ex his iam dictis clarẽ liquet & abundẽ demonstratum est, incredulitatem & hæresim, quamdiu citra aliorum facinorum accessionem nuda permanerint, solo Dei uerbo punienda esse. At si in opus aliquod malum & perniciosum eruperint, ac certæ alicuius seditionis concitandæ, aut homicidij perpetrandi causam præbuerint, aut alioqui sceleratæ & uitiôsæ uitæ occasionem induxerint, tum primum in gladij potestatem punienda incidunt, de quibus non alia ratione sumẽdum est suppliciũ

De Anabaptistis

gladio, quàm de seditionum autori-
bus, aut homicidis, aut alijs facinoro-
sis sumi solet, posteaquàm per incre-
dulos & hæreticos in leges ciuiles
flagitiose peccatum est. Imo non
secus, quàm alius quispiã priuatus
homo, qui sub prætextu fidei ince-
dens seditionis aut cædis, aut aliorũ
puniendorũ facinorum caput exti-
terit, supplicio afficitur. Breuiter, in-
credulitas & hæresis non ciuilis, sed
sp̄ialis gladij poenis subiecta sunt.
Quippe, si incredulitas Magistratus
gladio plectenda foret & iudicãda,
æquẽ cito Magistratus, quàm sub-
diti essent inuadendi, & ad suppliciũ
rapiendi. Adhæc si hæretici uiolen-
tia essent exterminandi, aut possint
ui profligi, quorsum opus esset sa-
cris literis nauare operam, cum
hac in re constaret carnificem do-
ctorem esse omnium literatissimũ?
His contra opponitur lex Mosaica
Deute/

Deutero. cap. 3. Si surrexerit in meo ^{2. 3.}
dio tui prophetae, aut qui somnium
uidisse se dicat, & predixerit signum
atq; portentum, & euenerit quod
loquutus est, & dixerit tibi, eamus
& sequamur Deos alienos, quos
ignoras, & seruiamus eis, nō audies
uerba prophetae illius, aut somnia-
toris, &c. sed propheta ille aut fictor
somniautorum interficietur, quia lo-
quutus est, ut uos auerteret à Do-
mino Deo uestro. Et mox in eo-
dem capite, Si tibi uoluerit persua-
dere frater tuus, filius matris tuae, aut
filius tuus uel filia, siue uxor quae est
in sinu tuo, aut amicus quem diligis,
ut animam tuam, clam dicens: Ea-
mus & seruiamus dijs alienis quos
ignoras tu & patres tui, &c. nō acq̄s-
cas ei nec audias, neq; parcat ei ocu-
lus tuus, ut miserearis & occultes
eum, sed statim interficies. Sit pri-
mū manus tua super eum, & post te

De Anabaptistis.

omnis populus mittat manum. La-
pidibus obrutus necabitur. Hæ sunt
duæ leges Mosi, quibus planū face-
re conantur, hereticum ciuili gladio
iure posse occidi. Nam hæresim in
fidem Christianam inducere, non
aliud est, quàm à uero Deo & uerbo
eius ad alienum Deum & mēdacia
simplicium animos adducere. Ve-
rùm longè alia est ratio puniendi hæ-
reticos in Christianismo, atq; olim
fuerit in Iudaismo. In Iudaismo erāt
externæ & corporales promissiōes,
corporales benedictiones, corpora-
lis terra, corporale regnum & sacer-
dotium, erant etiam externæ & cor-
porales hostiū cædes, quæ res signa
erāt & figuræ rectæ uirtutis in Chri-
stianismo manifestandæ. Quamob-
rem quemadmodum corporalis il-
la Iudeorum benedictio figura fuit
Christianis spiritualis bñdictionis,
& corporale regnum spiritualis re-
gni

gni fuit symbolum: ita quoque externa illa & corporalis Cananæorum & Iebuseorum cædes seu internecio, pseudodoctorum monstrat & significat, ut Christiani ratione spirituali hostes suos, nempe peccata, præterea falsos doctores & seductores occidant, uidelicet ut peccatū in corpore spiritu Dei opprimant, & seductoribus in fide sua non adhæreant, sed quemadmodum Paulus inquit, eosdem deuitent. Hoc idem innuit quoque Christus, ubi Matth. 18. sic loquitur: Si manus tua, uel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te. Quæ uerba nedum ad corporalem manum, aut pedem, sed spirituales quoque, nempe doctores, amicos, socios respiciunt, & referenda sunt. Neque de externa membrorum amputatione, sed spirituali loquitur, ut hic uerborum sensus sit. Quod si tibi prædicator,

Matth. 18.

De Anabaptistis

aut amicus, aut adiutor fuerit, & ille tibi erronea doctrina erit offendiculum, aut perdita & mala uita te seduxerit, non adhibebis illi mentem, sed illum amputato (hoc est) eius consortium de uita, ac temet ab eo segregato. Quin etiam tibi sit perinde ut Ethnicus & publicanus. Et hæc spiritualis deuitatio, aut nos offendentis abdicatio, per corporalem pseudoprophetarum interfectionem in lege indicata est. Fuere quoque in lege Mosaica coactæ quædam corporales cerimonie & cultus Dei, quorum negligentia certis poenis puniebatur, ueluti legitur Gen. cap. 17. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Et Num. ca. 4. Moses quendam populo lapidandum obijciebat, qui Sabbato ligna collegerat. Porro in Euangelio libertas

Iohannis Brentj sententia.

bertas quædam poenarū seu utilitas
tis proposita est fidei seu incredulitas
ti, cuius loco successit Spiritualis
utilitas atq; poena, ueluti Christus in
quit: Qui crediderit, saluus erit, qui
non crediderit condemnabitur. Sed
dicet aliquis, esto ut Euangelico, seu
prædicandi officio demandatū non
sit hæreticos corporali supplicio affi
cere, cum ei officio nō nisi spiritua
liter punire conceditum sit, Magi
stratus tñ interest poenā hæreticis in
fligere? Responsio, Cuiusq; Magi
stratus officium, ut iam dictum est,
non latius protenditur, quàm à Deo
ordinatum est. Quare si quis incre
dulorum aut hæreticorum externa
conuersatione uitam integrè & ho
nestè coram mundo traducit, nihil
peccans in ciuiles constitutiones, ni
hil iuris puniendi in illum habebit
gladius. Quid enim ad Magistra
tum attinet incredulitas aut hæ

relis: Cur & potius ut pacē in mun-
 do conseruet & externam morum
 honestatem, nec se ei rei admisceat,
 quæ nihil ad se pertinet. Est quoq;
 res periculosa (quod aiunt) aleæ,
 quando Magistratus assuevit ferro
 aut igne ullam aliquam fidem inse-
 ctari. Nam tamen si nonnunquam
 prauam fidem prosequutus fuerit,
 attamen si fieri possit, ut illorum suc-
 cessores insectationibus iam assueti,
 ueram fidem pro falsa insectarētur,
 quemadmodum cum Arrianis hæ-
 reticis actum esse accepimus. Siqui-
 dem eo tempore Episcopi suis per-
 suasionibus huc induxerant Ro-
 manum Imperatorem, ut passim
 Arrianos persecutionibus preme-
 ret atq; extingueret. Tandem cum
 aliquot Imperatores insectandi ra-
 tionem multa assuetudine sibi pe-
 culiarem fecissent, ac nonnulli ex il-
 loroū successoribus ab Arrianis fuis-
 sent

Iohannis Brentij sententia.

sunt persuasi, suam opinionem ueram & rectam esse, incipiebant recte credentes, & recte docentes Episcopos infectari, hæreticos summo studio tueri. Quamobrem longe tutissimum est & certissimum, ut ciuilis Magistratus suo fungatur officio, sinatque spiritualia peccata, etiam spirituali supplicio plecti. Multo enim satius est & præstabilius, ut quater aut decies falsa fides toleretur, quam quod semel uera fides infectionem patiatur. Iam ut ab hæreticis in genere iterum orationem meam ad Anabaptistas conuertam, dicunt plerique, Anabaptistarum sectam non esse simpliciter malam hæresim, sed habere multa adiuncta, ex quibus in Magistratus supplicium labantur. Docere enim eos, quomodo facultates omnium communes habende sint, qua ex re fortasse originem trahere possit seditio &c. Cæterum huius

Anabapt.

doctrinae gratia nullo iure de Ana-
 baptistis ultimum potest sumi suppli-
 cium. Nam quamdiu non docent ho-
 mines ad rerum communem, aut
 aequalem distributionem adigendos
 esse, neque ipsi alios uiolenter ad id co-
 pellunt, neque cum illis uiolenter agendum
 erit. Hactenus, n. religiosi nimirum
 monachi & moniales ita docuerunt,
 ut si quis communibus cum ipsis sacris
 initiari concupisset, de rerum suarum
 proprietate discederet, & cum ipsis
 communiter frueretur. Quomodo
 ergo ista quadrant, aut conueniunt,
 ut huius doctrinae gratia Monachi
 pro doctis, sanctis, pijs, & perfectis
 Christianis probentur, iam uero con-
 tra eiusdem doctrinae nomine mise-
 ri Anabaptistae neci dentur & peri-
 mantur? Cum tamen Anabaptistae
 suam monasticam & hypocriticam sen-
 tentiam, nulla malitia aut nequitia
 comenti sunt, sed ueluti simplices et
 imperiti

Iohannis Brentij sententia.

imperiti, è nonnullis sacrae scripturae
locis perperam intellectis traxerint.
Si propterea ilico quispiam morte
mulctandus esset, quoties in scriptu-
ra locum unum atq; alterum non in-
tellexerit, quis à gladio ceruicem su-
am securam, aut liberam habere ue-
lit? In omnibus ferè sanctis docto-
ribus reperiuntur multi loci non in-
tellecti, propterea ne essent occiden-
di? Quæ uerò hæc esset æquitas?
Quocirca ad hanc erroneam Ana-
baptistarum intelligentiam, amica
& Christiana pertinet institutio, &
admonitio, & nullius gladii fœuitia.
Iam si persuasi institutionem nos-
tram receperint, nos aliquot Chri-
stianos lucrati sumus, estque noster
numerus auctior factus. Sin nos-
tram admonitionem contempse-
rint, relinquendi sunt suæ uesaniæ,
& pro Ethnicis & publicanis repu-
tandi. Verum, ne sic quidem

De Anabaptistis

Magistratus interest cuiquam inferre manus, donec errantes nō in fide solum errauerint, uerūm capitalia flagitia externē designauerint. Iterū dicitur, fieri posse, ut inde certa aliqua oriatur seditio, si Anabaptistarum numerus auctus fuerit, & ipsi alios ui possint opprimere, &c. Responsio, Qui fit, ut hoc temporis tam acuti & ingeniosi facti sumus, ut ob Anabaptistarum doctrinam facultates temporarias attinentem, seditionis metuentes simus, neq; idem illud ante monachis docentibus solliciti metuerimus? Nonne idem uerbi tunc locum habere potuisset? Quandoquidē ita monachi docent, & suis facultatibus cōmuniter utuntur, ubi iam illorū grex factus fuerit numerosior, haud dubiē seditionem concitabunt, uolentes, ut quisq; sua bona illorum exemplo cum ipsis in communem usum deponat. Et profecto

fecto sine omni seditione, tantum doctrinae suae fermento & uitae hypocrisi penè totius orbis opes ad se pertraxerunt, pro quibus impostores illi coelum nobis uænum exposuerunt, & uitam æternam uænalẽ habuerunt: Adeo, ut si alterutra pars huius doctrinae nomine neci danda foret, citius omnes Episcopi, & monachi extinguendi essent, quàm miseri illi Anabaptistæ, qui nullum coelum, aut immortalitatem unquam fraudulenter hominibus uendiderunt. Accedit his, si omnia gladio coercenda essent, qua ex re temporis progressu haud dubiè futura seditio oriri possit, tũ omnia publica symposia, omnes comestationes & conuiuia, omnes cõtiones & mercatus, omnes Ecclesiae congregationes uĩ atque pœnæ irrogatione abolenda forent. Multis enim experimentis didicimus, in non paucis symposijs

F

De Anabaptistis

ortas fuisse seditiones, in non parū
multis mercatibus tumultus esse cō
citos. Imo in multis Ecclesijs clan
cularias coniurationes esse factas.
Præterea Davidis interfuisset, ut o/
mnibus sacris Iudæis interdiceret,
quippe filius eius Absolon suā sedi
tionē inter sacrificandū in Hebron
cōflauerat. Et quod plus est, oībus
hominibus corda essent eruenda,
posteaquā oēs seditiones è corde
suam trahant originē. Fieri potest,
ut multi facinorosi latrones sectæ
Anabaptistarū semet adiungerent,
qui nihil aliud quā seditiosos mo
tus, aut alia flagitia uoluūt in animo.
Nos uerò iam de ratione eius rei, &
secta ipsa, quantum ad se attinet,
uerba facimus, & non priuatim de
facinorosis latronibus. Videmus
nullam fidem, nullam hominū con
ditionem, aut statum tam bonū esse,
cui se nō admiscerent nonnulli ho
mines

mines nequam & parum bonæ frugis, Quî fieri possit, ut non etiam erroneæ alicui sectæ se admiscerent homines mali & nihili? Quare si omnino decretum est uti supplicij sæuicia, mali & criminosi afficiantur supplicio, simplices uerò & imperiti nulla premantur iniuria. Certum enim est, mira simplicitate uiros, mulieres, uirgunculas, qui per omnem uitam infensi fuere discordiæ, in eum errorem incidisse, qui uerò iustum esse possit atque adeo æquum, ut tales ilicò ueluti seditiosi ad mortem raperentur? Deinde obiicitur & illud: Si Anabaptistæ, inquit, Magistratibus, huius doctrinæ gratia, qua facultatum communionem esse debere affirmant, puniendi non sunt, in hoc tamen noxam graüter animaduertendam incurrunt, docentes nullum Christianum Magistratus officijs



De Anabaptistis

fungi posse. Adhæc nolunt principi-
bus ut subditi in ciuilibus possessio-
nibus semet ullo iuramēto, aut spō-
sione obnoxios facere. Sanè ista in-
ficiari non possumus, ista em̄ & do-
cent & faciunt. Sed si propterea pe-
rimendi sunt, aut è medio tollendi,
iamdudum à religiosis nempe sacer-
dotibus & monachis inceptū oportuit.
Siquidē religiosi, qui hætenus
pre alijs hoc nomē obtinuerūt, oīm
maximè huic culpæ sunt obnoxij,
qui hætenus semper ita docuerunt,
& opere doctrinā suam quoq; com-
pleuerunt. Sunt enim illi ipsi qui di-
xerunt, & docuerunt, nullius reli-
giosi interesse, ut pœnali iudicio
morti quenq; adiudicet, aut de san-
guine ferat sententiam, neq; citra
dispensationem eiusmodi ad sua sa-
cra & ordinem admiserunt. Quid
uerò hoc aliud est, quàm omnibus
Christianis Magistratus officijs aut
functio

Iohannis Brentij sententia.

functionibus interdicare, posteaq̄
omnes *vnosius* Christianos uerè re/
ligiosos esse oporteat, neq; Magi/
stratus functio citra sanguinis effu/
sionē administrari potest: Illi quoq;
tales sunt, qui nullo iureiurando,
aut sponsione, aut alio quouis ciuili
onere communiter cum alijs feren/
do semet unquam Magistratibus
subiectos obstringere sustinuerunt,
id quod nullo permissu, aut fauore
Magistratus factum est, sed proprie
uoluntatis ductu atq; libidine. Quin
etiam, si ad tale aliquid quod Magi/
stratibus præstandum fuerat, ada/
cti sunt, Principes & Magistratus
anathematis sui fulmine ictos com/
pescuerunt, quemadmodum hoc
ipsum clarè in Decretis Pontificijs
memorię proditum inuenitur. Iam
si quis eam ob rem occidendus est,
quis iustius supplicio afficiendus erit,
quàm ordo religiosorum? Postea

De Anabaptistis

quàm religiosi non minus hac in re
errauerunt, quàm Anabaptistarum
colluuiēs. Neq̄ à ueritate discrepat,
quod utriq̄ hac in re affirmant & re
ligiosi & Anabaptistæ, uerũ neutra
pars sanè interpretat̄, sed planè falso
exponũt, ut plerq̄ oia, quippe Chri
stianus, ut Christianus nõ potest uti
gladio, aut quenq̄ perimere. Est em̄
Christiani esse mitem & humilem,
qui non prolixè aut grauatim igno
scat, qui malum patienter sufferat, q̄
pro inimico Deum exoret. In hoc ta
men errant Anabaptistæ, cum di
cunt, Christianum ut Magistratus
fungentem officio non posse uti gla
dio. Siquidem Deus ordinem ma
gistratus instituit, potestq̄ Christia
nus hoc officio æquè atq̄ etiam iusti
us fungi, quàm alius non Christia
nus aut Ethnicus. Neq̄ illud diffite
ri possumus, spiritualem Magistra
tum, hoc est, Episcopum, parochũ
seu

Iohannis Brentij sententia.

seu prædicatorem, spiritualis officij gratia posse aut debere uti gladio. Nam Christus dum Apostolis, seu prædicatoribus Euangeliũ annuncian- dum in mandatis dedit, non eadem quoq; opera illis liberum fecit propriæ potestatis usum, quo indu- cti ueluti ciuilibus Magistratus uteren- tur gladio. Quocirca ne in eam ue- nirent cogitationem suscepta pote- state Euangeliũ prædicandi, ac ho- mines Verbo Dei à peccatis ligandi & soluendi, eadẽ ratione quoq; po- testatem haberent pro se utendi gla- dio. Christus illis interdicit usu gla- dij, quod nõ ad illorum personã tibi referẽdũ est, si ad Remp. capelescẽdã, seu Magistratũ obeundũ eligerent, aut à magistratib⁹ ad hoc uocarẽtur, sed ad illorũ officium, nimirũ Apo- stolis ideo à ciuilibus Magistratus of- ficijs temperãdum est, posteaquã potestatem spiritualem susceperũt,



perinde ut Papa in suis Decretis se
iactitat. In hoc uerò religiosi turpi-
ter errantes impegerūt, cum docue-
rint se nedum propter officium, ue-
rum etiā ob unctā personā non au-
dere ullam sententiā iudicio cōdem-
nati pronunciare, & gladio uti. Iam
si ob unum aliquē errorem statim
quispiā uita spoliandus est, parcen-
dum erit nemini. Sed quid hac in re
statuendum aut faciendū est? Etem
Anabaptistę Magistratibus, neq; iu-
rare, neq; spondere quicq; decreue-
runt: Responsio. Quemadmodum
cum religiosis hac in re agitur, pari
ratione quoq; cū Anabaptistis aga-
tur. Et cum ciuilē obedientiā præsta-
re recusant, ciuili quoq; libertate pri-
uentur, ac pro peregrinis reputētur
& tractentur, qui in aliquod oppidū
delati habitant, neq; tñ eius loci Ma-
gistratibus semet ullo iuramēto, aut
sponsione addixerunt, aut subiece-
runt.

runt. Neq; hoc cito faciēt ea de re cō-
pellati, sed ad eam excusationē fugi-
ent, se ciuitati aut Magistratui fidem
dedisse ac iurasse, quare hīc nō posse
denuo iurare. Itaque summa pœna
qua eius generis aliquis possit affici
hec esset, ut illi ciuilib⁹ cōmertijs in-
terdicereēt. Quicq; illi pręterea per
iniuriā obiectū fuerit, ex tyrānide fit
& ui, & nulla equitate. Cur ergo in e-
iusmodi casu Anabaptista acerbio-
re supplicio adficiēdus est? Cęterum
summū & maximū hac in re ius est
Cæsareū, quo se tuentur nūc pleriq;
existimātes Anabaptistas, Magistra-
tibus ob hoc puniēdos esse, adeo ut
iure eam pœnā sufferre uideantur.
Quia uero de eius legis intellectu
nobis loquendū est, opere precium
uisum est eam legē hīc subiicere. Ad
hūc uerò modū scripta est libro pri-
mo Codicis, Ne sanctum baptisma
reiteretur, Lege secunda.

De Anabaptistis

Imp. Honor. & Theod. AA. Antho-
nio præfecto prætorio.

SI quis rebaptizare quempiam
de ministris catholicæ sectæ fue-
rit detectus, unâ cum eo, qui pia-
culare crimen cõmisit, si tamen ca-
pax criminis sit per ætatem, cui per-
suasum sit, ultimo supplicio percel-
latur. Hæc est illa lex Cæsarea, ut in
litteris comprehēsa est. Ac primum
quidem non de omnibus Christia-
nis communiter loquitur, qui reba-
ptizantur, sed de ministris tantum
Ecclesiæ catholicæ, quales sunt Aco-
lythi, Lectores, Exorcistæ, Ostiarij,
Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, &
Episcopi. Adeo, ut si hæc lex non
alium in se sensum, aut intellectum
complectitur, tantum illi pœna per-
cellendi sunt, qui ministrum aliquẽ
Ecclesiæ, & non alium quempiam
Christianum rebaptizarunt; deinde
de

Iohannis Brentij sententia.

de illis quoque loquitur, qui in ipso facto Anabaptismi manifestò deprehenduntur, & non de illis, qui iam rebaptizati sunt. Ex hoc facile aestimare licet, hanc legem magis pro terrore incutiendo rogatam esse, quàm quòd hi, qui rebaptizati sunt, supplicio ullo afficiantur. Nam cum fortasse id temporis Anabaptismus ualde foret in usu & crebro fieret, neque tamen apertè fieret, uoluit Cæsar Anabaptistis lege occurrere, ut poenam quoque talibus terrendis luendam proponeret, nimirum si rebaptizati manifestò deprehenderentur. Non secus, quàm in lege Mosaica Patrifamilias permissum erat, ut furem manifestò in ædibus suis depræhensum occidere possit. Certo uerò sole impune dimitteret. Tertio ut maximè hæc iam dicta locum non haberent, tamen præsens lex de nudo & simplici

De Anabaptistis

Anabaptismo intelligi non potest. Siquidē in antiquis historijs de isto Anthonio Præfecto Prætorio, ad quem Cæsares hanc legem perscripserunt, ad hunc modum legitur, uidelicet illum fuisse suæ ætatis uirum prudētissimum, ac Cæsarem Theodosium sine eius consilio nihil prorsus egisse, aut statuisse, sed Anthonij ductu & auspicio omnia fuisse confecta & ordinata. Et postea de Theodosio quoq; ita literis ac memoriæ proditum est, uidelicet illum fuisse summa pietate uirum, qui tanta honestate, integritate, & sanctimonia aulam suam rexerit, ut aula sua magis cœnobiū quàm regia existimata sit. Adhæc ita sanctam scripturam ad unguem calluisse legitur, ut eandem ad uerbum memoriter recitare nosset, &c. Quæ omnia illud non obscure testantur, hac in lege nihil imprudēter aut impiè esse præceptum

Iohannis Brentij sententia.

ceptum atq; statutum. Illud uerò ne/
dū incogitanter aut insipienter, ue/
rumetiam impiè actum esset, ut er/
rantē tantū simplicis erroris gratia
carnifici iugulandum obijceremus,
cum tamen adhuc ad sanam mentē
& sententiam possit retrahi, aut si
hoc non fieret, qui saltem Euange/
lio puniendus reseruatus sit. Quam/
obrem apparet hanc legem aliā ra/
tione fuisse conditam, ac aliam cau/
sam innuere, quàm nudè & simpli/
citer Anabaptistarum gratia fuisse
rogatam. Sed huius causæ nulla fit
mentio. Leges enim Cæsareæ, ut
nunc in libris extant, tantum è fon/
tibus & ueris libris iam nūc nō am/
plius extantibus epitomæ quædam
sunt summam excerptæ. Quapro/
pter nedum in hac lege tantum, ue/
rum in multis etiam alijs contrariæ
& pugnantes inter iurisperitos opi/
niones oriuntur, posteaquàm fon/

De Anabaptistis

tes non amplius extent, & uera exemplaria, nec causa præcedētis & sequentis rei, ad sensum legis plenè intelligendū sciri potest. Et quòd hæc lex nō nudè de Anabaptismo accipienda sit, ex hoc nō ambiguè notari potest, nempe ex lege hanc proximè præcedēte, in qua Valentinianus & Gratianus Cæsares ita dicūt, Episcopus q̄ abusu non debito denuo rebaptizauerit, sacerdotio indignū existimamus. Illorū em̄ errorē condemnamus, qui Apostolorū præcepta conculcant. Et illi qui semel Christiani nominis Sacramentum suscipiunt, multo plus Anabaptismo, sub nomine baptismi semet turpiter cōtaminant, quàm emundant. Hi duo Cæsares contenti sunt, rebaptizantē Episcopum suo officio indignum existimari, & eius errorē refellere. Qui ergo alij duo tam efferatæ esse possint tyrannidis, ut propter simplicem

plicem Anabaptismū miserum populum morte mulctandum condemnarent? Potest etiam hic sensus ex sequenti lege certius elici, nam in subsequentibus scriptum est lib. 1. Codicis titulo de Apostatis, ad hūc modum, Si quis in honesta lege cōprehensus fuerit, ac tandem è Christiano in Iudaismum relabitur, ac semet blasphemæ illorum Synagogæ adiunxerit, illius bona publicitus diripienda mandamus. Hic Cæsareæ legis sensus est de Apostatis. Iam uerò utrum maius est, si quis tantum uno Sacramento abutatur, aut si quis prorsus à fide desciverit? Haud dubiè stultus quoque nullo iudicio præditus intelligere possit, grauius uitium esse à fide desciscere, quàm solum ex imperitia uno Sacramento abuti. Qui ergo grauiore & acerbiorē supplicio puniendus esset ille, qui

De Anabaptistis

Sacramento abutitur, quàm quòd à to-
ta fide semel desciuerit? Si omnes
illi morte forent afficiendi, qui Sa-
cramento nō rectè & indignè utun-
tur, quot nam quotannis concre-
mandi, aut decollandi fuissent, qui
parum dignè ad uenerabile Sacra-
mentū corporis & sanguinis Christi
accesserunt? Quin etiam neq; ipse
neq; Episcopi manus carnificis pos-
sint aufugere, quippe qui Christia-
nis Sacramentum sub utraq; specie
sumendū prohibuerunt, quod non
solum non rectè factum, sed Christi
institutioni planè ex diametro con-
trarium est. Propterea ius Cæsareū
omnes alios hæreticos grauiore pœ-
na nō adficit, quàm quòd omnibus
Cæsareis priuilegijs orbi esse cogan-
tur. Qui ergo tã acerba pœna Ana-
baptistarum error esset emendan-
dus? Si tamen omnino Anabapti-
stas excarnificare decretum est, tum
iisdem

Iohannis Brentij sententia.

ijdem tormentis etiam Papa, & oēs
eius sacerdotes excrucianti sunt. Nā
illi permultos rebaptizarunt, uideli-
cet si puer recens natus domi urgen-
te necessitate baptizatus fuerit à mu-
lieribus, hunc de integro ad Ecclesiā
delatum rebaptizant. Hoc uerò non
ne æquè rebaptizari est, quàm quod
Anabaptistæ faciūt? Addunt equidē
ista uerba, Si baptizatus es, ego te nō
baptizabo: sin nō baptizatus es, ego
te baptizabo in nomine patris, &c.
Quorsum uerò opus est sacerdoti-
bus hoc additamento? Nouerunt. n.
planè è mulierum relatu, pueros esse
baptizatos, cūr ergo semel mulierū
opera baptizatos infantes rebapti-
zant? Neq; dicūt Anabaptistæ, se ite-
rū baptizari, sed omniū primum re-
ctè baptizari Existimant. n. infantū
baptismū nullum esse baptismū,
quemadmodum Papistæ ferè mulie-
rum baptismum ducunt pro nihilo,

G

De Anabaptistis

tametsi hoc ipsum externè non indi-
cent. Accedit his oībus, quod de san-
cto Cypriano martyre legitur, quē
spectatæ sanctimonie Episcopū fuis-
se Carthagine certū est, qui unā cum
toto concilio habita deliberatione,
statuit eos qui antè ab hæreticis fuis-
sent baptizati, ac tandē ueri Christia-
ni effecti, baptizandos esse. Et quan-
quàm oēs hac in sententia hallucina-
tos esse negare nō possumus, nemo
tamē propterea à quoquam diabolo
mancipatus est, tm̄ absit ut quispiam
morte mulctatus sit. Imo Cypria-
nus, quē eo in cōcilio caput fuisse hi-
storiæ perhibent, etiam nū hodie ab
omnibus sanctus martyr esse credi-
tur. Itaq; cū Anabaptistæ sui erroris
& iustituti, tam præclaræ, sanctum, &
doctū uirum, & martyrē cōmunem
quasi authorē habeant, qd sibi uolūt
Christiani, ut semet inter se tam cru-
deliter perimant? Ex his omnibus
iam

Iohannis Brentij sententiā.

iā suprā memoratis, facile est animo
aduertere Cæsaris cōstitutionem, in
qua Anabaptistas capitū condēnat,
nō nudè ad Anabaptismū respicere,
sed ad aliud quoddā externū flagiti-
um, hīc nusquam expresse positum,
quod tunc tēporis Anabaptismo ad-
hæsisse credibile est. Alio qui, n. oēm
humanitatē & æquitatē tam clemēs
Cæsar excessisset. Sin ista lex nudè re-
spicit ad Anabaptismū, non aliunde
quàm cruentorū Episcoporū instin-
ctu rogatā esse iūrare ausim, quorū
magnum numerū sub Theodosio
fuisse non ignoramus. Neq; res erat
magni negocij horsum Cæsarū ani-
mos flectere. Cum, n. Cæsares adhuc
essent Christiani nouitij, statim Epi-
scoporū uerbis mōuebantur, existi-
mātes nihil nō esse Dei uerbū, quic-
quid ab Episcopis uspiā fuisset prola-
tū. Legitur, n. in fidedignis historijs,
tempore Theodosij Episcopū fuisse

Tripartita
hist. lib. 11.
cap. 3.

Synnade, quousque adeo fertur infectatus esse hæreticos quos Macedonios nominant, ut etiam e possessionibus suis eos deturbaret. Insuper Constantino, polim horum gratia profectus est, ubi tunc Cæsaris aula erat, ibi omnes Cæsaris Præfectos aduersus hæreticos persequendos sibi adiunxit. Quod factum ea in historia Episcopo summè probro datū est, ut ei qui hac in re parū pie aut Christianè egerit. Ac postea non dissimile factū de Episcopo Nestorio legitur, qui cum Cōstantinopoli electus esset in Præfulem, ad eundē Theodosium inter cōcionādū ita dixisse fertur, O Cæsar, da mihi regionē ab hæreticis purgatā, & ego tibi coelū daturus sum, Sis mihi auxilio in oppugnandis hæreticis, & ego tibi in Persis hostibus tuis deuincendis opem feram. Hanc Episcopi orationē, multi cordati uiri ægrè ferebant, & quanquā nemo hæreticorum

Tripar. hi
sto. lib. 12.
cap. 4.

corum

Iohannis Brentij sapientia.

corꝝ fauebat uesaniæ, tñ Episcopꝝ le
uitas, imo erga Cæsarem audacia ne
mini non displicebat. Quapropter si
Episcopi Cæsarem Theodosium, ita
nare ueluti bubalũ traxerunt, ac illi
coelũ polliciti sunt, mirabile nõ erit,
si eiusmodi lex suo tẽpore aduersus
Anabaptistas rogata sit. Sed est ne
propterea ista lex pro sancta & incul
pata reputanda, quæ sanguinolento
rũ Episcopozꝝ instinctu cõdita est?
An non potius illud hac in re respici
endũ fuerit, qd Christianũ Magistra
tum deceat, quàm quod uiolenta ty
ranide extorqueri possit? Multo em̃
magis Christiano Magistratuĩ cõue
nit, ne tã sit sanguinis cupidus, atqꝫ
Ethnicorꝝ esse solent. Cõuenit quo
que illi, ut etiã ueluti Christianus ani
marũ saluandarũ curam agat, & nõ,
ut tyrannus, semper rem gerat sæui
tia. Qui uerò illud dici potest salutẽ
animarũ quæsisse, si miseri Anaba


De Anabaptistis

ptistæ, qui tm̄ simplicitate peruersi
intellectus scripturæ in errorē prolapsi
sunt, statim gladio carnificis do-
centur & corripuntur. Et profecto
à miseris hoibus nulla adeo timēda
esset seditio, si alioqui gladio rectè u-
teremur. Quin potius Magistrat⁹ ui-
gilantius quæ sibi agenda sint, præui-
deat, suoq; officio fungatur cogitan-
tius, neq; miseros per tyrānidem op-
primat, neq; egenū assiduis exactio-
nibus cōpilet, sed pupillos ac uiduas
fideliter defendat, citra personarū re-
spectū iudicet, id quod sui officij fun-
ctio desiderat: hoc facto, nihil est qd
ullam seditionem pertimescat. Mali
hoies nullius seditionis authores
sunt, sed si ueritatē fateri liberè uolu-
mus, mala & uitiosa uita Principū &
Magistratuū. Sunt quidē mali hoies
instrumenta seditionis, cæterū mala
uita Magistratuū una præcipua causa
omnis seditiosi tumultus & motus
esse

Iohannis Brentij sententia.

esse solet. Eius rei cōprobandę certis-
simū exemplū exhibet rex David,
qui si non peccasset adulteriū cōmit-
tendo, & Vriæ sanguinē innocēter
effundēdo, Absalon filius suus nun-
quā t̄m potuisset, ut concitata sedi-
tione patrē persequutus fuisset, etiā
si adhuc maioris fuisset audaciæ &
maliciæ. Quamobrem Magistratui
supplicij sæuitia erga simplices Ana-
baptistas mitiganda & tollenda est,
ac eos Euangelio puniendos relin-
quat. Aliās uerò gnauiter det operā,
ut pacatē & honestē cōcordes uiuāt
omnes. Nam qui aduersus commu-
nem tranquillitatem & Magistratū
peccauerit, siue baptizator seu
rebaptizator fuerit, ille meritū
supplicium ab illo suf-
ferendum, sibi non
ignoret.

FINIS.



2/3 3490


ULB Halle


3

003 012 972



mc





ADVERSVS
ANABAPTISTAS

PHILIPPI MELAN-
thonis Iudicium.

ITEM,

An Magistratus iure possit oc-
cidere Anabaptistas, Ioannis
Brentij Sententia.

FRANCOFORTI EX-
CVDEBAT PETRVS
Brubachius.
M. D. LXII.

11. 29.

